[illegible]genda [illegible]

Generose Domine   1

Generose Domine Lukaszkiewicz

Amice Mi   CGEMS

Opuscula in his Miscellaneis sub N° contenta sunt.

1. Carmen gratulatorium in laudem Jng. adol. ab Alb. Deoyen. Crac. 1630
2. Debitum pietatis A.R. et Exc. Jac. Vitellio a Joach. Speronowic. Crac. 1638
3. Aurora natalium Jll. ac M. D. Adam. Hieron. Sieniawski Sub. Stan. Ospedowski C. 1638
4. Hellanodicæ virtuti, quam cum fide &c. opera Joach. Speronowic Crac. 1638.
5. Elisei Aurimontani ad Dantiscanos bellum et arma circumspicientes Epist. 1638.
6. Vindiciæ p Cornelio Tacito a Nicol. Nowikowski Convitiatorib. opposita Crac. 1638.
7 Arctos Sarmatica, quæ gener. Juv. ab Alb. Samborski monstrat. Crac. 1638.
8 Nubes Hippocratis Cl. ac Doct. Viro Andr. Wolfowicz a Thom. Canevesi dic. Crac. 1638.
9. Icon virtutis et laboris ~~[illegible]~~ Ven. ac Exc. D.D. a Nic. Fatowicz Crac. 1638.
10 Pietas erudita seu oratio de nexu piet. cum erudit. Joan. Alb. Paris. Crac. 1638.
11 Tiara Episcopalis Jll. ac R.mo D. Andr. Gębicki Eppo Luceor. a Daniel. Otrebusz. Crac. 1638.
12 Icon heroicæ virtutis Gen. ac M. Joan. Dębienski a Joan. Cynerski. Crac. 1639
13 Colossus immortalitatis Ser. ac Pot. Vlad. IV. a Balthas. Stan. Przylusski: Lublini 1638.
14 Felix Luceoria in primo ac solemni Andr. Gembicki &c. Balt. St. Przylusski Lublini 1639
15 Planctus in obitum Jll.æ D.æ Teclæ in Olyka Ducis. a Balt. Stan. Przylusski Vars. 1637.
16 Nænia na smierć nieśmiertelną Andrzeja Jaklinskiego Krak. 1638 p M. J. C. R.
17 Acroama pietatis ad festu nuptiale &c. a Joan. Cynerski.
18. Processus causæ int. insig. et perfidum Marcum Judæum, Decretu &c. Cr. 1636.
19. Aureus Trionis Sarmatici tripos a Ludov. Christoph. Millero Crac 1638.
20 Minerva plaudens in Aula D. Jagiellonis ab Adamo Nowakowsk. Cr. 1638.
21 Dona Gratiarum Ven. D. Math. Stan. Wolfowic. p Valerianu Alnpek Cr. 1638.
22. Róża przesadzona z Ziemie do nieba u Kaz. pogrz. Mikol. Lawrinowicza F. Kr. 1638
23. Metamorphosis Apollinis et novē Musas a Joan. Nicol. Gąsiewski Crac. 1637
24. Utraq. civis Jll. D. Stan. Lubomirsk. &c Joachim. Speronowicz. Crac. 1638.
25. Stephanion Studii Philosophici Rdo D. Sub. Stan. Ospedowski Crac 1638.
26. Paterna felicitas Cl. ac doct. Viro Andr. Wolfowicz a Joan. Grynwaldt. Crac 1638.
27. Gratulatio Jll. ac R.mi D.ni Stan. Grochowski Arch. Ep. Leop. a Mathia Głębocio. Cr. 1635.
28. Lechopædeia seu in verna renas. stud. acad. Oratio a Steph. Niszczycki. Cr. 1638.
29 Gratiæ nuptiales Cl. et Exc. D. Stan. Spinek &c. a Joan. Cynerski. C Trzebinski
30 In occursum Ser. Pot. invict. Princ. Vlad. IV. &c. Acad. Zamoysc. votum. 1634. Petrus
31. Ioppes votum p felici et exopt. incolum. Adami Opatowii a Joach. Speronowic Cr. 1638.

Authores

Alnpek Valerian.	21.	Millerus Lud. Christoph.	19
2 Aurimontanus Eliseus.	5.	Niszczycki Steph. —	28.
1 Anonymi.	16, 18.	2 Nowakowski Adamus.	20.
Canevesi Thomas	8.	Ospedowski Stanislaus	3, 25.
Cynerski Joann.	12. 17. 29.	Otrebusz Daniel —	11
Deoyen Albert.	1.	Paris Joan. Albert.	10.
Fatowicz Nicol.	9.	Przylusski Bathas. Stan.	13, 14, 15.
2 Głębocius Mathias	27.	Samborski Albert.	7.
1 Gąsiewski Nicolaus	23.	Nowikowski Nicol.	6.
Grynwaldt Joann.	26.	Speronowic Joachim.	2, 4. 24. 31.
Lawrinowicz Mikolay Franci szek.	22.	Trzebinski Petrus.	30.

SOSPES VOTVM,

Pro felici & exoptandâ incolumitate

Perillustris & Adm. Rndi. Domini,

ADAMI OPATOVII,

S. Theol: Doct: & Professoris,

Ad S. ANNAM Decani: nomine bonorum Academiæ Ciuium, cùm in numerum Canonicorum Cracouiensium feliciter cooptaretur, conceptum: &

A

M. IOACHIMO SPERONOWIC,

Coll: Min: tunc Philosophicæ Facultatis Decano, bono omine nuncupatum.

ANNO DOMINI, 1638. IV Id: Iulij.

CRACOVIÆ,

Ex Officinâ Typographicâ Francisci Cæsarij.

In Stemma Perillustris Capituli Cracouien.



Vna Corona sacro Regum de vertice, fulget;
Terna nitet templis, sancte Vauelle, Tuis
Vtq; magis rutilent augustis templa Coronis,
Auxiliare decus gemmea sceptra petunt.
Quàm benè consistunt gemini splendoris honores,
Hinc statuas: sceptris, terna Corona viget.

AD PERILLVSTREM ET Adm. Rndum Dominum

ADAMVM OPATOVIVM,

S. Theol: Doct: & Professorem, Canonicum Cracouiensem,

AVspicatissimos dies toti Academiæ, illuxisse lætamur, Perillustr: & Adm. Rn̄de Dn̄e; quibus in communi, optimorum Ciuium, ob honorem virtuti Tuæ collatum, lætitiâ & congratulatione, mihi quoq; vni Tuorum Clientum, facta est potestas, tū demissè gratulandi, tum bono vota omine concipiendi, vt post accessionem istam recentis honoris, Perillustris & A. R. D. V. diutissimè, optimâ valetudinis firmitate, benignitate diuinâ perfruatur. Quo præmisso voto, Deoq; suppliciter dicato; ad iustam lætitiam, animos omnium nostrûm incitari confirmo, qui Tuæ dignitatis illustrem splendorem, maximi, vt par est, æstimamus, ac sacrosanctè habemus. Lætabamur, qui testes fuimus oculati, affectus illius & amoris, quem Tuæ integritati, Perillustre & Venerabile Capitulū Basilicæ Cracouiensis, in primo ad se aditu, declarauit admirandum. Cōplexus illi animorum sanctissimi, ac officiosæ congratulationes identidem institutæ, sensu tantùm destitutos nihil mouerent, neq; animum ad lætitiam prouocarent. Quid Ciuibus Academicis quàm iūsta datur lætandi materies, cùm perspiciunt, vigere in hoc virtutis theatro, præmia honorum amplissima, parari suos honores literato labori, morum & exemplorum ad viuum expressorum integritati, conuenientem præstari

 digni-

dignitatem & pretium; atq; istis modis, spem & animos iuniorum ad virtutes, & facta vitæ laudabilia, inflammari. Mihi verò vnde iusta, aut lætitiæ declarandæ, aut gratitudinis & obsequiorum testificandorum occurrit causa & ratio? Equidem nulli vnquàm & maior & iustior, quam si agresti & ingrato premerem silentio, maximoperè delinquerem. Commune ius est, attamen sanctissimum, quo non minùs Præceptores, quàm Parentes, iubemur honorare, eorumq; aduersis affligi, lætari prosperis. Quid si illi nos multùm diuq; diuinis imbuerint mysterijs, quid si tanto omnia studio, fide, spiritu, claritate, contentione, egerint; vt operæ suæ neminem pœniteat? Hæc ita sunt multorum communia, vt singuli pro illis simus æternùm obligati. Iam priuatim mihi tot præstita, possumnè dissimulare beneficia? Tua me sapientia per Præceptorem meum Colendissimum, cùm externus adhuc Magister fuissem, ad Professionem Dialecticæ Nouoduorscianæ, honestissimo stipendio euocauit. Non deerant, vt nunquam Dei gratiâ desunt, lectissima Academica ingenia, quæ Spartam illam pro dignitate ornâssent; mihi tamen Tua benignitas prospectum esse voluit, vnà cum optimo Præceptore meo, quem ego fulcrum alterum, vtriusq; temporis, & rerum mearum, libens recognosco. Quid tot admonitiones paternæ, tot cautiones, vt officium Scholæ illius pro virili præstarem, tot animi hæsitantis confirmationes, tot tædia in emendando, si quid concepissem, à Tua dignitate exhausta? quid, inquam, hæc erant aliud, quàm perpetua in me summi & veri patrocinij documenta? In petitione Minoris Collegij diutiùs fortassè mansissem candidatus, nisi Tuis sanctissimis vocibus, publicè commendatior extitissem. Aduersæ quandoq; (vt sunt res humanæ) impotentiùs in me detonanti procellæ, dubio procul succubuissem, nisi Tuis saluberrimis recreatus adhortationibus, animos resumpsissem. Hæc sunt, imò sunt multò plura alia, quæ me fidelem Mecænati meo clientem reddiderunt, hæc nunc suaserunt, vt isto voto meo Sospite Perillustrem & A. R. D. V. diu felicem & Sospitem cupiam perennare. Diuinam exoro bonitatem, vt quantùm Tua vita est rebus Academicis necessaria, tantùm illa Tibi annorum & firmitatis dignetur impertiri.

Perillustris & Adm. R. D. V. Cliens addictiss.

M. Ioach. Speronowic, Coll. Min.

SOSPES VOTVM.

QVò me citatis candida greſsibus,
Quò mens amœno corripis impetu?
Perpende ſplendorem Camænis,
Non triuialibus occinendum.
Sentiscanorę conſcia gloriæ
Qua laude geſtit, carmine quo coli?
Montis Vaueli lux decora,
Lux patrio veneranda Soli.
Quam tot ſequuntur lumina ſæculi,
Tot ſanctiorum germina palmitum,
Quos arma, quos claræ probârunt,
Palladis ac pietatis artes.
Ergò timendum ne Phäëthonticis
Formidoloſas caſibus orbitas
Auſu recenti poſtulemus
Nænia quo recidat vetuſta.
Sed non timendum; fabula non erit
Qui vera promit; pertenui licet
Serpat ſuſurro: ſic fluentis
Riuus aquæ pelagus refingit.
Auguſta Diui pignora Præſulis,
Quem veritatis gloria ſplendidæ
Prouexit æternùm canendis
Martyrij patrij theatris.

Quàm claræ vestris fulget honoribus,
Regnatque virtus & pietas chori
Selectioris de popello
Principis arbitrio superni.
Florete longis inclyta sæculis,
Quo maior vni summus honor Deo
Trinoq; soluatur nec atris
Obstrepat hostis atrox procellis.
Cedat timendis prædo nefarius
Stratus sagittis, prodigialium
Sanguis Draconum, trux Cerastes,
Hinc fugiat, Phlegethonte regnet.
Assurge felix Præsuleæ Domus
Stirps, ô beatis nata Penatibus
Præclara Diuorum propago
Sydereis opulenta votis.
Assurge, & altis consociabilem
Coniunge Patrem consilijs, diu
Quem clara factorum beatis;
Accumulant documenta votis.
Accessiones accipe tempore
Longo paratas, nec metuas dolos,
Æquauit hæc veros honores
Tot scopulis agitata virtus.
Præstans honoris gloria clariùs
Attollitur, cùm tempora laureis
Reuincta florent optimorum,
Quos labor & pietas probârunt.

Maturita-

Maturitatis candidioribus
Natæ sub horis, hîc solium graue
Resplendet, haud nutans in horas,
Nec trepidis agitatur vmbris.
Hinc implet altis pectora gaudijs,
Cùm luminosis claret adoreis,
Exempla pro tota relinquens,
Posteritate beatiora.
Non sic sereno Cynthius æthere
Profundit imo diuitias solo,
Quàm fructuoso nata virtus
Pectore, spargit opes amicas,
Quas non Tagus, non India proferet
Maurusvé toto corpore decolor,
Conatibus magnis parantur
Sancta animi monumenta sancti.
Est mater illis promere doctior,
Ausus recentes, cordis & intima
Proferre, non iactare gnara,
Syderei pietas decoris.
Felicior quàm turba Quiritium
Gaudet minorum, callibus arduis,
Cum matre thesauros legendo,
Non trepido recreare passu.
Quoquo beatum flectit iter parens,
Huc cauta ocellos progenies rapit,
Intenta, quos altrix Olympi
Fortior vrget ouans recessus.

Sic sic

Sic ſic amicis greſsibus it cohors
Ter ſancta, gemmant vndique ditia
Progreſsionis luculentæ
Munera, quæ Dominam loquuntur.
Pertranſit orbem commemorabili
Præſtans bonorum congerie: ducis
Exempla Phœbi more ſpargens
Cùm ſuperas graditur per arces.
O mater almo germine ſplendida,
O germen alto ſemper amabile
Cæli Monarchæ, qui vigere
Te faciat patrijs Athenis.
At iam ſereni conſcia luminis,
Regina ſanctis promeritis potens,
Poſt mille victrices coronas
Aſsidet, ambit honor ſedentem.
Præſtò phalanges ætherei Chori,
Sunt hinc & illinc, relligio, fides,
Iuſtumq; candori propinquum,
Gratia, ſpes, animi leuamen.
Lux charitatis, claraque veritas,
Splendor modeſtus, gemmea puritas,
Et caſtitas formoſa, cæli
Quæ aligeros hilarat ſodales.
Solers honeſti cautio, comitas
Humana virtus, integritas ſoror
Prudentiæ, & tranquillitatis
Sunt grauitas, probitaſque præſtò.

Connexa caro ſimplicitas choro,
Clementiæ & dos inuiolabilis,
Rectique cultus non ſupinus,
Faſq; pium placidi nitoris.
Sunt mille pulchris ordinibus pares
Iunctæ ſorores, his pietas ſacra,
Regina cunctis nuncupatur,
Agmina tot famulantur vni.
De patre quæris? maſcula prodidit
Vis mentis almum germen, & extulit,
Doctoris hi fructus ADAMI:
Pectore non citharis colendi.
Laborioſi Doctor amabilis,
Murus Lycæi. & præſidium potens,
Tutela, ſpes, portus bonorum,
Iuſtitiæ, ac probitatis altor.
Mens grata Diuis, grataq; litteris,
Iucunda toti Craciadum ſolo,
Manſueta, prudens, culta, florens,
Dotibus, eximijs decora.
Perpeſſa duri prælia temporis,
Non ceſsit atris fulminibus potens,
Certabat inuictis trophæis
Pro patria: pietas amanda!
Deprome mater docta Academia,
Tantos labores; adijce ſi potes
Curas edaces, quæ fatigant,
Sæpè graues pietate Ciues.

Aduerſa quando vis animis bonis
Inſultat, acres & ſtimulos, malo
Subſternit auſu, quàm tenaces
Diſcutit hæc pietas furores!
Non vana grato hoc corpore ſanctitas,
Vultum modeſtis tinxit adoreis,
Vt quanta mentis ſint amandæ
Robora, percipias amice.
Quàm voce polles, dic age CRACIA,
Deprome, quantis creſcere te facit,
Hic Doctor, exemplis honeſti,
Moribus, & probitate vitæ.
Quem non profani gloria carminis,
Circumſonantis vel Citharæ melos,
Pro dignitate extollat vnquam,
Diuitijs animi decorum.
Quem ſancta Diui gratia Pneumatis,
Illuſtrat, ornat, confouet, excitat,
Confirmat, inflammat, tuetur,
Lætificat, renouans amænat.
Firmauit almo hoc pectore, neſcia
Prolapſionis mens bona flebilis,
Fibras reuelli non paratas,
Cedere nec faciles periclis.
Cùm fraudulentis artibus, impios
Debellat hoſtes, ſtrageque conficit,
Nec parcit imbelli ſenectæ,
Quin faciat facienda Doctor.

Sol eſt Theatri, quo pia panditur
Summi voluntas Principis, & ſacræ
Myſteriorum tot figuræ,
Tot fidei documenta noſtræ.
Nam luce clarâ, dogmatis ardui,
Noctem refellit cum tenebris nigram,
Suprema latè dona ſpargens
Mentis opes pretio beatas.
Quid, cùm perennis myſtica gloriæ,
Depromit imo pectore gaudia?
Qui mentis auſus excitantur!
Qui intima depopulantur ignes
Æterna clari præmia luminis,
Ac ſi probâſſet, ſic reſerat ſono
Diuiniori; quo ſuperni
Corripiunt animos receſſus.
Quantus, verendi cùm pia Numinis,
Siticuloſis inſonat auribus,
Præcepta? compunctus viator,
Corda ferit meliora ſperans.
Miro redundat flumine copiæ,
Lingua diſertum Chryſologum voces
Chryſoſtomum, Hieronymumv
Gregorium, Dionyſiumque
Vel quem colendum de numero Patrum,
Quos Sponſa Chriſti vertice ſplendidis
Eccleſia, ornauit Coronis:
Præmia promeritis rependens.

Hinc

Hinc fæda tetro crimina pectore,
Depellit acer; quoſque adamantinis
Affinxit errores catenis
Mundus iners, animis reuellit.
Cælo virentis peruigil hortuli
Cultor; quot horas, tempora quot locat,
Vt pulcher efflorescat altis,
Germinibus violis roſiſque.
Cætum innocentem temperat arbiter
Prudens pauentem, conſilio, & fide,
Pulchraſque connectens corollas,
Hinc legit, & tibi Chriſte promit.
Æterne Princeps Sponſeque virginum,
Sponſas coruſco lumine candidas,
Hic Phæbus æternat Tuiſque
Sydereis thalamis adoptat.
O Phæbe noſter, gloria Ciuium,
Doctor Tuorum gloria Academiæ,
Te, Numen æternum precamur.
Soſpitet innumeris diebus.
Serua colendam canitiem Pater,
Orante ſerua Matre Tuos dies,
In vota ſis pronus Clientum,
Viue diu decus ô ſerenum.

fl. 3

